



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

16. Ex variis incommodis hæc veritas propugnatur & oppugnatur sententia
adversariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

tio; sed vos ipsi dicitis, & latissime probatis, tractat. 2. disputatione 17. capite tertio, per totum, intentionem gloriæ esse inefficacem circa omnes homines, tam reprobos, quam prædestinatos, hoc est intentionem illam vniuersalem: ergo manifeste sequitur, tali intentioni non correspondere mutationem illam, sed solum electioni.

308 Vergetur amplius; quia illa intentio propriissime, & formalissime quatenus intentio est primario non est ad media, sed ad gloriam; unde per vos est ante omnia præuisa media; quare tantum indirecte, aut solum virtualiter respicit illa. Sicut & contra electio directe, ac formaliter primario non respicit finem, sed media: ergo mutatio, quam dicitis correspondere intentioni, non est mutatio in obiecto primario formali, ac per se intentionis: ergo illa mutatio non complet primario, ac per se intentionem; atqui intentio quatenus intentio primario, & formaliter, & ut distinguitur ab electione, & formalissime quatenus concepta in ordine ad gloriam, est actus liber completus & adequatus: ergo actus liber formalissime, & per se non indiget, ut sit, mutatione extrinseca in obiecto proprio facta.

309 Ex quo sic euidenter argumentor; actus liber Dei constituitur in esse completi per se, ac formalissime, non in ordine ad obiectum virtuale, sed in ordine ad obiectum formale primarium, & per se; sed in ordine ad obiectum primarium saluatur sine mutatione: ergo primario in esse completi non petit mutationem. Ex quo amplius colligo, etiam in ordine ad obiectum virtuale, & indirectum non indigere mutatione; quia si talis mutatio non requiritur, ad complendum per se, ac formaliter actum liberum, nullo modo erit necessaria; sed sine tali mutatione completus est actus liber: ergo ad complementum illius non requiritur talis mutatio. Minor hæc sic demonstratur; quia intentio, ut intentio non completur in esse intentionis per electionem, nec per obiectum electionis, quia intentio completissima est per suam tendentiam in finem, quatenus distinguitur finis à medijs, quia intentio per tendentiam ad finem, & quatenus talis est, constituitur in esse causæ completæ respectu electionis, & mediorum, quæ sunt obiecta electionis; motus enim amore finis eligo media; unde ratio totalis eligendi media, est finis amatus, seu intentus, & ideo est vera hæc causalis ideo eliguntur media, quia finis est intentus, & amatus; & contra vero non bene valet; ideo amatur, & intenditur finis, quia eliguntur media; unde prior est intentio finis, quam electio mediorum; sed quod est prius non constituitur à posteriori; & quod est causa, non completur perfectum, sed potius quod est prius, completum est ante posterius, & causa ut causa prioritate naturæ est completa ante effectum: ergo intentio finis ex vi propriæ tendentiæ ad finem est completus, ac pene constitutus actus, priusquam detur electio mediorum, & media ex vi talis electionis discernantur; sed mutatio physica in creatura est ordine electionis & in obiecto illius: ergo ordine intentionis, & in obiecto illius nulla datur mutatio physica; ergo intentio in ordine intentionis, & ut est prior ipsa electione, & ordine electionis absolute, ac simpliciter est completa sine ulla mutatione physica; atqui intentio in ordine intentionis est actus liber formalissime: ergo actus liber formalissime com-

l. P. Tom. II.

pletus, & plene constitutus non petit necessario, ac formaliter mutationem intrinsecam physicam in creatura; unde si actus intentionis in eo, quod proprium sibi per se, ac formale habet, scilicet in suo obiecto formali, & in sua tendentia saluatur sine mutatione, à fortiori saluabitur sine mutatione in eo, quod sibi non proprie, sed per accidens conuenit.

Ex quo manifeste colligitur, omnino posse dari intentionem sine mutatione illa; quia mutatio illa non conuenit per se intentioni, sed per accidens; quia res non potest saluari sine eo, quod per se requiritur ad propriam constitutionem, optime autem saluatur sine eo quod per accidens illi conuenit.

SUBSECTIO XVI.

Ex variis incommodis hæc veritas propugnatur, & oppugatur sententia Aduersariorum.

310 **Q**uia si decretum liberum efficax Dei formaliter est necessaria entitas Dei simul cum extrinseca denominatione vel connotatione productionis futuræ ad extra, & idem est de diuina præscientia futurorum, sequitur euidenter, adhuc etiam in hoc tempore manere contingentem diuinam præscientiam & efficacem voluntatem rei nondum productæ; quapropter sicut adhuc est in statu contingentie peccare vel non peccare Antichristum, ita similiter adhuc in hoc tempore erit contingens, Deum præsciuisse futurum peccatum illius, & Deum voluisse illud permittere & voluisse damnari Antichristum, sequela sic probatur; quia scientia simplicis intelligentiæ & ipsa entitas Dei, seu complacentia necessaria omnium possibilium; supra quam cadit denominatio extrinseca, ut fiat decretum liberum secundum se, ac præcise considerata non potuerunt vnquam aliter se habere, nec aliter versari circa creaturas; solæ relationes rationis, seu denominationes extrinsecæ, vel connotationes potuerunt non fuisse (iuxta prædictam sententiam,) cum igitur eadem relationes, & denominationes producantur ab actionibus futuris, quæ sunt adhuc in statu contingentie, necessarium est, non minus contingentem esse nunc statum earum relationum, seu denominationum; & consequenter adhuc esse contingens, Deum non præsciuisse talenti actionem futuram, aut non voluisse facere bonum vel permittere malum, quod est futurum, quam rationem fufus prosequuti sumus, tom. 6. præcedenti de scientia Dei, tota disputatione trigesima prima, præsertim sectione 4. & sequenti, demonstrantes iam nunc esse simpliciter necessariam & extra statum contingentie quamlibet præscientiam futurorum, & quamlibet liberam volitionem Dei; quemadmodum est iam extra statum contingentie cælos exiisse multis retro sæculis, licet adhuc eorum existentia perfectæ.

Secundo sequitur ex eodem absurdo, vanam & fictitiā esse certitudinem, immutabilitatem, & inuariabilitatē diuinæ præscientiæ futurorum, atque diuinæ volitionis liberæ, quin potius sicut operationes, quæ nondum fuerant, adhuc sunt

in ita contingentia, ut possint non fieri, sic etiam relationes rationis, aut extrinsecæ denominationes, vel connotationes ex eis resultantes possunt non euenire, ideoque possunt non constituere divinam præscientiam futurationis, & divinam volitionem liberam; consequenter igitur præscientia, & volitio propter versatur circa futuras operationes, non minus incerta est, nec minus mutabilis & variabilis, quam futura operationes nisi præscientia, & volitio habeant ab intrinseco realem, & veram tendentiam ad illa obiecta determinate, quæ non constituantur nec compleatur relatione rationis vel denominatione, seu connotatione.

312 Deinde; nulla laus esset, divinam præscientiam non posse falli, neque perfectio illius debere iudicari; quoniam illius infallibilitas in eo formaliter, atque præcise consisteret, quod denominatio extrinseca, seu connotatio non posset esse alia, nisi quæ resultat à futuris actionibus; quod si alia futura fuissent actiones, alia connotationes, aut denominationes resultarent: itaque nulla representatio futurationis daretur in Deo, quæ non posset à futuratione discordare sed sola denominatio à futuratione resultans, est quæ non potest à futuratione discordare: hac enim ratione mea præscientia non posset falli, tantaque pollet infallibilitate, quanta divina præscientia, quando ego scio, cunctos homines posse peccare, & posse divinam legem servare, quæ possibilitatis præscientia constitueretur præscientia peccati, quod est futurum per extrinsecam denominationem ex eo resultantem, & hanc erit impossibile falli; si erit impossibile præscientiam constitutam per denominationem à futura observantia divinæ legis.

313 Vltimo sic probatur nostra veritas, & manifeste refellitur sententia adversarij: nam si interrogemus ab adversarijs, cur hæc creatura, quæ connotatum extrinsecum divinæ volitionis dicitur, fuerit futura ab æterno, & existat in tempore, nullo modo poterit cordatus Theologus respondere, & tribuere hanc rationem huic interrogationi, quia à se talis est, aliàs esset Deus, & non creatura; nam quod à se est Deus, est, imo nunquam fuisset futura, sed semper fuisset actus; quia quod à se est, necessario est actus, & non futurum; in æternis enim idem est posse est, & esse: ergo debet respondere dicendo, quia potius voluit Deus hanc creaturam esse futuram, & actualem, quam alias innumeras, quæ ipso statu puræ possibilitatis in æternum relinquuntur non existere: ergo hæc volitio Dei est causa cur hæc creatura potius sit, quam alia: Vt inquit D. Augustinus *tom. 3. lib. 3. de Trinit. cap. 4.* his verbis: [voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum; nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori, invisibili, & intelligibili aula summi Imperatoris inbeatur, aut permittatur, nullasque naturas à Dei voluntate seungimus, qui est auctor omnis, conditorque naturæ] & *tom. 5. lib. 5. de civit. Dei cap. 9.* sic ait [divina voluntas est causa omnium rerum, ipse prior dilexit nos] & *tom. 4. lib. de catechismo. cap. 4.* hæc profert. [& ideo bona voluntas dei præcedit; nec possumus esse amatores, sed solum redamatores dei; hinc gratis dedit quidquid dedit, quod signatis dedit, gratis autem deum] & idem docet *tom. 8. super Psalm. 5. & tom. 9. tract. 3. super Ioann.* cuius vestigijs insilens D. Thom. 11

p. q. 19. univrsaliter docuit voluntatem liberam dei esse causam rerum, quod adeo verum est, ut omnes scholastici Theologi asserant, esse articulum de fide, cuius oppositum sit hæreticum dicere, voluntatem dei liberam esse causam rerum.

Si autem interrogas cur detur in Deo volitio huius creaturæ potius, quam alius, non poteris respondere, quia datur hoc connotatum futurum, quia sicut effectus non est causa causæ, ita effectus non potest tribui pro causâ, seu ratione existentia causæ. Vnde qui diceret, ideo Deum velle hoc futurum potius, quam aliud, & dari potius volitionem huius quam alterius, quia hæc potius quam alia futura creatura est, irideretur sine dubio à sapientibus, tum quia circulum vitiosum committit in tali responsione, tum quia tribuit pro ratione existentia causæ seu pro causa causæ ipsum effectum talis causæ, quod est omnino ridiculum, quia evidenter sequitur de primo ad vltimum idem esse causam sui ipsius, quia quod est causa causæ est causa causati, sed per vos connotatum extrinsecum est causa volitionis divinæ, seu est ratio cur sit hæc volitio, & volitio est causa seu ratio, cur sit hoc connotatum: ergo de primo ad vltimum hoc connotatum est causa sui ipsius, & est ratio cur idem ipsum connotatum sit, quod est omnino absurdum: ergo manifeste sequitur ex hoc, connotatum extrinsecum non esse constitutum volitionis divinæ, quia si constitutum esset illius sine vilo circulo vitioso, sine vilo inconuenienti, ad quod vltimo necessario deveniendum esset, tribueretur pro ratione volitionis divinæ ipsum connotatum, sicut v. g. quia anima rationalis constituit hominem sine vilo circulo, ac sine vilo incommodo tribuitur pro causa existentia hominis ipsa anima existens in materia, ex qua nulla ratione cogimur ad redeundum ad hominem, tribuendo illum pro causa existentia animæ in materia, quia huiusmodi regressus à causa ad effectum, nullo modo potest fieri secundum rectam Philosophiam. Vnde si iterum interrogas, cur existat anima in materia ut constituat hominem, si causa à priori tribuenda est, non dicimus, quia homo componitur ex illa, sed potius recurrimus ad Deum dicendo, quia Deus, qui est à se, & liber est, habetque infinitum, & plenum dominium circa omnes res, voluit pro suo libito creare hanc animam & vnire illam materiæ.

Sed nullo modo potest tribui pro causâ à priori existentia huius volitionis potius, quam alterius, quæ est causa huius connotati, ipsum connotatum futurum, aut actuale: ergo evidenter sequitur, connotatum illud sine futurum, siue actuale non esse constitutum à priori actus liberi Dei: ergo alio priori & intrinseco constituto gaudet intra se in creato, & infinito talis actus liber Dei, quia talis actus liber Dei non est minus divina, increata, & imparticipata perfectio, quam relationes, & absoluta attributa Dei; sed quia tales perfectiones sunt divinæ increatæ, & imparticipatæ, adæquate, & totaliter constituentur intrinsecis, divinis, increatis, imparticipatis & intrinsece existentibus intra Deum: ergo similiter propter eandem rationem actus liber Dei non constituitur de foris emendicato à creaturis imperfectissimis constituto essentiali, & formalissimo, sed potius perfectione increata, & à fortiori intrinseca, quam cetera attributa.

Dixi

15 Dixi à fortiori; quia præter rationem increatam, aut diuinam perfectionis quæ militat in ceteris, & impedit, vt extrinsecis creatis imperfectio- nibus constituentur, militat peculiaris, & præci- pua ratio in volitione diuina, sicut in scientia ad hoc vt nullo modo possint constitui per crea- turas, scilicet ratio vitalitatis, quæ petit ex con- ceptu suo præciso constitui, non per extrinsecas rationes extrinsecas, & cognoscentem existen- tes, sed potius per rationem intrinsecam intra viuens existentem; quia vita est perfectio adæqua- te, & totaliter intrinseca viuents, vt videre est adhuc in creaturis. Quapropter, cum actio vt sic sit indifferens ad hoc, vt sit intra agens, & extra agens quando contrahitur per differentiam actio- nis vitalis, contrahitur ad rationem actionis im- manentis, id est ad rationem actionis intrinsecè existentis in agente, ideo enim intellectio creata non est actio extra intellectum, sed potius est actio intrinseca, & immanens in intellectu, quia est actio vitalis, & ideo productio Verbi diuini, & Spiritus Sancti est intrinseca Patri, quia est vitalis respectu illius, & è contra productio, seu crea- tio Angel, non est immanens in Deo, nec intrin- seca in ipso, sed potius est extrinseca respectu il- lius, & transiens, quia non est vitalis respectu Dei: ergo si decretum liberum, seu volitio di- uina, & scientia Dei, præter rationem communem increatæ perfectionis continent in se rationem adæquatam vitalitatis, nullo modo potuerunt con- stitui extrinsecis constitutis; & hoc à fortiori in volitione quam in scientia visionis, quia præ- ter rationem increatam, & perfectionem vitalita- tis, quæ reperiuntur in scientia visionis, & im- pediunt constitutionem illius per creaturam, datur alia specialis in volitione, ratione cuius totaliter impedit, ne volitio constituitur per creaturam, scilicet ratio causæ respectu omnium creatura- rum, quia causa nunquam constituitur per suum effectum.

316 Vt autem funditus euclamus, & radicatus la- befactemus sententiam hanc de constitutione liberi actus, quæ adeo planibilis est hoc tempore per extrinsecum connotatum, opera præcium du- xi vt argumento ab inconuenienti adducto quo vtitur Pater Didacus Ruiz *tom. de volunt. Dei, disp. 1. sect. 5.* ubi sic ait; quia si præscientia futu- rorum contingentium in Deo nihil aliud est, quam scientia simplicis intelligentiæ (quæ tan- tummodo complectitur simpliciter necessarias veritates rerum possibilem) addita extrinseca denominatione proueniente à futura productione rerum contingentium: item si decretum liberum est voluntas necessaria Dei addita solum deno- minatione extrinseca à creatura futura, sequetur manifeste, omnes fideles, qui saluandi sunt, certo cognoscere, se adepturos esse vitam æternam: con- sequens est contra fidem, vt patet ex Concilio Trident. ergo antecedens non est verum: sequela probatur, quoniam omnes fideles per fidem certo cognoscunt esse sibi possibile per Dei gratiam, & opem adipisci beatitudinem: hæc autem cognitio possibilitatis addita futuritione beatitudinis, & extrinseca denominatione proueniente à futura beatitudine, complebitur, & constituitur in ra- tione præscientiæ futuræ beatitudinis, quemad- modum simplex intelligentiæ, quæ Deus scit, mun- dum esse possibilem, addita extrinseca denomina- tione proueniente à futuritione mundi comple- ritur, & constituitur in ratione præscientiæ futu- ritionis mundi, quæ præscientiæ fuerit ab æter-

no: Eodem argumento probare possem, te præ- scire omnes actus liberos futuros omnium homi- num, & Angelorum; si cognoscis eorum actuum possibilitatem, & huic cognitioni superaddatur relatio rationis, vel extrinseca denominatio pro- ueniens ab eorum futuritione.

Item veniamus ad volitionem efficacem, quam opinio contraria constat ex volitione simpliciter necessaria, quæ est complacentia simplex omnium prout sunt possibilia, nec non ex relatione ratio- nis, seu extrinseca denominatione proueniente ab effectu futuro, vel ab actione transeunte, per quam est producendus; hæc enim duo, dicunt, esse satis vt per illa formaliter Deus ab æterno fue- rit constitutus in ratione volentis. Inde per argu- mentum similis formæ deducitur inconueniens non minus falsum, quam quod nuper circa præ- scientiam inferebamus, sequitur enim neminem vnquam fuisse iustum in charitate, & gratia Dei, si postea de facto commissurus erat peccatum mortale, parique ratione sequitur, neminem esse in peccato mortali, si postea per contritionem redi- turus est in Dei gratiam, & charitatem.

Sequela manifestior euadet exemplis, sequi- tur luciferum ab ipso primo suæ creationis in- stanti, quando Deo gratus, & iustus erat voluisse rebellare, & apostatare à Deo: quoniam in eo primo instanti necessariam volitionem habebat suæ beatitudinis in communi, & complacentiam simplicem excellentiæ maioris, & exaltationis propriæ. Huic igitur volitioni superaddita rela- tio rationis vel extrinseca denominatio à futura rebellionem, & apostasia qua libere voluit suam beatitudinem, & exaltationem consequi per illud medium, complebitur, & constituetur efficacem voli- tionem rebellandi, quæ fuerit iam in illo primo instanti creationis.

Eadem consequentia probabitur in ipso die 319 Palmarum quando Iudæi acclamauerunt [Hosan- na filio David;] iam tunc commississe peccatum efficaciter volendi, & procurandi mortem illius; etenim etiam tunc placebat illis Dei honor & gloria Messæ venturi, cui complacentiæ, si subiun- gatur relatio rationis, vel extrinseca denomina- tio; quæ voluerunt occidere Christum Dominum existimantes, se defendere Dei honorem, & vsur- patam gloriam Messæ, complebitur, & consti- tuetur efficax volitio, quæ iam ab eo tempore vo- luerint efficaciter occidere Christum Domi- num.

Atque vniuersaliter, cum sit omnibus ratio- ne vtentibus necessariis amor boni, & beatitu- dinis in communi, non deerit hominibus quan- do sunt in charitate, cui si coniungatur rela- tio rationis, vel extrinseca denominatio ve- niens ab efficaci volitione, qua futuro tempore propter amorem apparentis & priuati boni pro- prii postponendi Dei præceptum, complebitur, & constituetur efficax volitio postponendi Dei præceptum, quæ fuerit in homine quandiu ra- tione vtitur, ideoque nullus adultus, & ratio- nis compos fuit iustus, & in gratia.

Contra vero nemo peccantium, & eorum præ- cipue qui sunt in gratiam redituri, caret omni complacentia penitentis, & observantiæ di- uinæ legis, imo multi tunc & iam quando pec- catum committunt, habent simplicem compla- centiam contritiæ virtutis, & penitentis, cui si coniungatur denominatio extrinseca proue- niens à futura penitentia, vel futuris actibus con- tritiæ virtutis, complebitur, & constituetur efficax

volitio detestationis peccatorum, contritionis, & observantia divina legis, quæ volitio efficax iam pridem existerit eo ipso tempore, quo iste homo erat in peccato mortali, unde sequitur etiam tunc fuisse in gratia; quoniam etiam tunc habebat efficacem volitionem requisitam ad obtinendam gratiam.

322 Duas potissimum solutiones adhibent aliqui Theologi, primo namque respondent, eminentiam divinæ scientiæ, atque volitionis præstare quod præstare non potest limitatio, & imperfectio creatæ cognitionis, & volitionis. Hæc solutio verum dicit, falso tamen applicatur ad defendendam doctrinam oppositam. Verissime namque dicitur, eminentiam infinitam divinæ cognitionis, & volitionis hoc præstare, ut per eandem simplicissimam entitatem, & perfectionem intellectus præsciat omnia contingentia futura, & præsciret etiam alia, si forent alia futura; similiterque per eandem simplicissimam realitatem, & perfectionem volitionis efficacis, & libera velit quæcunque producit, & per eandem libere voluisset alias res, si alias decrevisset producere.

323 Cæterum iuxta sententiam, quam impugnamus infinita eminentia divinæ scientiæ, vel divinæ volitionis non præstat, ut Deus realiter per intrinsecam, & immanentem in se perfectionem determinate sciat, quæ sit futurum, & determinate velit producere quæ sunt producenda, sed dicitur deus hæc scire, atque velle propterea formaliter, & præcisè, quoniam habet necessariam scientiam, & volitionem, & illis superadditur relatio rationis vel extrinsecæ denominationis proveniens à futura Dei productione, vel ab effectibus producendis. Hoc autem nihil eminentiæ confert, neque prærequirit in divinæ cognitione ac volitione, quin potius imperfectiorem, inferioriorem, & limitatiorem quantum ad hoc constituit cognitionem, ac volitionem divinam qualibet creatæ cognitione, aut volitione, quæ realiter, & propriissime per seipsam formaliter præscit aliquos effectus futuros determinate, & realiter, ac determinate vult aliquid, facere prorsus independentem à qualibet relatione rationis, aut extrinsecæ denominatione, quæ à futuris productionibus ad extra, vel ab earum effectibus resulteret in cognitionem, aut volitionem creatam.

324 Secunda solutio respondet in volitione nostrâ libertatem esse denominationem extrinsecam proveniente à potentia voluntatis, quæ potest non velle quoniam virtus imaginativa soluta: propterea quæ potest intellectum flectere ad utramque partem contradictionis; unde nihil mirum, si libertas in Deo si similiter sit extrinsecæ denominationis.

325 Verum tamen hoc exemplo non solvitur, sed augetur robor præsentis argumenti, quamvis enim nostræ volitionis libertas sit extrinsecæ denominationis, nihilominus ipsa volitio, quæ libera est, non potest esse denominatio extrinsecæ, sed omnino debet esse realis volitio. Præsens igitur argumentum, & reliqua primario intendunt probare volitionem creandi mundum; & cæteras volitiones effectus Dei esse reales, quo supposito, quid sit formaliter libertas in huiusmodi volitionibus, postea videbimus.

SECTIO VIII.

Thomistarum sententia ponitur, & oppugnatur.

Conclusio: Actus liber Dei non completur formaliter per ens rationis: probatur, Quia Deus, ut patet ex scriptura, & fide catholica, non sicte amat, & sic libere decernit, sed potius vere, & realiter, & sic tale decretum habet veros effectus reales, quod non posset esse, si decretum esset fictum vel fictio aliqua creata: atqui si decretum liberum Dei constitueretur respectu rationis, tale decretum esset fictum, & non verum: ergo decretum liberum Dei non constituitur sic. Minor, in qua est difficultas, sic probatur, quia respectus, seu relatio rationis non est vera, & propria relatio, sed ficta ad similitudinem relationis realis & veræ, licet cum fundamento in re ipsa, sed hæc relatio ficta, & non vera, & realis est constitutum decreti liberi: ergo decretum liberum constitutum erit decretum fictum & non verum: consequentia patet, quia ideo genus, & universale est fictum, & non verum, & reale superius, quia relatio generis, & universalitatis non est vera, & realis, sed rationis & ficta, licet habeat fundamentum. Item Chimæra composita ex homine, & leone est ens chimæricum, & fictum, licet habeat duo constitutiva realia, naturam scilicet hominis, & Leonis, ex eo enim quod unio, vel identitas sit ens rationis fictum & chimæricum. Sed licet entitas Dei, supra quam cadit formalitas actus liberi sit realis, nihilominus formalitas talis actus est rationis, & ficta, licet cum aliquo fundamento: ergo etiam decretum Dei erit fictum & non verum, & reale.

Adde; quia dato, quod Deus nec fecerit, nisi lapides, nec decreverit facere aliud ens reale præter illos in tota latitudine entis creati. Tunc enim certum est, Deum habere decretum liberum, per quod decreverit facere, & producere supradictos lapides, sed tunc nullum esset ens rationis, quod posset decretum Dei constituere & nihilominus daretur decretum liberum: ergo evidenter sequitur tale decretum non constitui ente rationis. Minor sic demonstratur; quia sine causa dirigente nullum potest dari ens rationis fictum; alias ens rationis esset à se, & non ab alio, & haberet perfectionem, quam non habet perfectius ens, scilicet Angelus, homo, & leo, sed tunc nulla daretur causa talis entis rationis: ergo tunc nullum daretur ens rationis. Hæc minor sic probatur, quia adequate causa entis rationis duntaxat est creatura intellectualis: sed tunc nulla daretur talis creatura: ergo nulla causa entis rationis daretur tunc.

Nec potest dici, ipsum Deum facere illud ens rationis; non enim potest dici in sententia P. Vazquez, quia tantum abest, ut ipse concedat talem effectum, ut neget absolute, Deum cognoscere illud, ne forte faciat. Deinde late probavimus in metaphys. Deum non posse facere ens rationis. Sed demus Thomistis aliquibus; Deum posse facere illud interrogo, an illud ens rationis fiat necessario à Deo, vel libere, non necessario, quia alias actus liber non esset liber, sed necessarius, cum entitas Dei, quæ est unum constitutum actus liberi sit necessaria, & ens rationis similiter sit necessarium ens, id est sine